

derata (ut loquitur Bellarminus), resolute mentem suam exponat; cui proinde potius adhaerendum est.

Patet hæc solutio ex ipsomet Aug., qui hanc quaestionem denuo tractans lib. de octo Dulcitii Quaestionibus, quæst. 6, postquam retulisset omnia quæ ad Simplicianum circa Samuelis apparitionem dixerat, ita scribit: *Sed quam non frustra dixerim pedentim nos in hoc genere simulatam Samuelis imaginem, maligno pythonsæ ministerio representatam existimare debere, ne inquisitionibus diligentioribus præscribamus, mea posterior inquisitio declaravit, quando inveni in libro Ecclesiastico, ubi patres laudantur ex ordine, sic Samuelem fuisse laudatum, ut prophetasse etiam mortuus diceretur.*

Obj. V. S. Hieron., in cap. XIII Ezechielis sic scribit: *Quomodo adversus prophetas pseudoprophetae inspirabantur diabolico spiritu, ita adversus prophetissas inspirabantur demoniaco spiritu aliæ ejusdem sexus: hinc dicunt Hebræi, maleficis artibus eruditas per necromantias et pythicum spiritum imitatas esse prophetissas, qualis fuit illa quæ visa est suscitasse animam Samuelis.* Ubi non dicit, quæ suscitavit, sed quæ visa est suscitasse.

R. nec nos dicere, quod pythonsa Samuelem suscitaverit, cum ante dictum sit, quod jubente Deo Samuel incantationem pythonsæ prævenit.

Obj. VI. Auctor Responsum ad orthodoxos, quæ sub S. Justini nomine circumferuntur, q. 52, ita loquitur: *Quæ a divinatrice facta sunt, demonis ope facta sunt omnia, ut oculi eorum, qui cernebant, Samuelem, qui non erat, videre viderentur. Sed veritas verborum a Deo extitit, cujus concessu demon Samuelis habitu et figura divinatrici videretur, doceretque rei futuræ interpretationem.* Ita quoque plures loquuntur veteres.

R. hoc non esse mirum, cum fateamur, quaestionem illam fuisse utrinque disputatam probabilitate, antequam liber Ecclesiastici canonicus haberetur. Sed post Ecclesiæ decisionem de divina illius inspiratione causa illa finita est.

QUÆSTIO II. — AN LICUISSET DAVIDI PUGNARE CONTRA ISRAELITAS, SI PHILISTÆOS AD PRÆLIUM COMITATUS FUISSET.

Fidelitati Davidis diffidentes principes Philistinorum, cap. XXIX, 4, dixerunt: *Revertatur vir iste.* Hinc elucet mira Dei providentia erga Davidem; David enim hic erat in casu plane periculoso et implexo, ut cogere vel esse proditor Achis regis (a quo multa beneficia acceperat), si in prælio ad Saulem et Israelitas deflecteret, vel patriæ et civium suorum esse hostis, si contra eos pugnaret. Sed subvenit Dei providentia, quæ sic consuluit famæ et conscientie sui clientis, ut utraque salva, neque David pugnaret contra Saulem, neque datam philistæo regi fidem violaret. Interim quaeri potest, an licuisset Davidi pugnare contra Israelitas.

R. et dico: Id Davidi non licuisset. Et rationem hujus propriam assignat Estius, quod bellum ex parte Achis esset injustum, quia gerebatur contra populum

Dei, titulo non justo, sola scilicet cupiditate domnandi: quisquis autem militat principi, quem novit injustam habere causam, delinquit mortaliter. Ita ille. Aliud est si iustitia belli subdito appareat dubia, et a principe militare cogatur: eo enim casu belligerare licet.

Aliam causam assignat auctor citatus: quod videlicet stultissimum fuisset, si David contra populum suum, cujus jam ipse a Deo designatus erat rex, voluisset pugnare cum et pro illo rege, qui illum populum omnino volebat delere, aut in servitutem redigere.

Obj. I, cum Lyrano: David tenebatur defendere ipsum Achis, cui obligabatur ex beneficiis receptis; quia rex ille benigne eum receperat, et securum reddebat contra persecutionem Saulem: et alioquin fuisset proditor, intendens nocere ei quem adjuvare promiserat. Siquidem quod David regem Achis adjuvare promississet, videtur colligi ex cap. XXVIII, 2, ubi dicit David ad Achis: *Nunc scies quæ facturum est servus tuus.* Item cap. XXIX, 8, rursus ait David ad Achis: *Quid enim feci... ut non veniam, et pugnem contra inimicos domini mei regis?*

R. quod David multo magis obligaretur juvare populum Dei, quam iniquam invasionem infidelium. Nec promiserat quod regem illum juvaret, nisi terminis plane ambiguis; nam verba illa: *Nunc scies*, etc., nihil certi significabant, eo quod David necdum stultisset, quid in prælio factorus esset, sed rem totam divinæ voluntati (quam per pontificem Abiathar inquisiturus esset) permittere decrevisset. Ita Abulensis, Salianus et alii.

Ad id autem, quod ex cap. XXIX allatum est, dicit quod David tanto fortius et generosius urgere posset ut comitaretur regem Achis ad prælium, quo magis videbat animos Philistinorum alienos a tali facultate concedenda. Fortasse etiam per inimicos domini sui intellexit ipsos hostes Saulem, scilicet Philistæos; siquidem Saulem semper ut regem suum et nominavit, et coluit. Itaque sicut cap. XXVII simulabat se agere prædas de Israelitis, et revera agebat de subditis, aut saltem de confederatis ipsius Achis: ita et in hoc bello eum facturum fuisse, non incredibile censet Estius.

Obj. II. Poterat Achis habere bellum justum contra Saulem: potuit enim fieri ut Saül, qui erat arreptitius a dæmone, aliqua pacta frerit, seu juramenta cum Philistæis inita; quia talia etiam erga infideles servanda sunt: quamvis enim Israelitæ non possent cum Philistæis inire fœdera perpetua, eo quod habitarent in terra promissionis; tamen poterant ex causa rationabili facere inducias ad tempus, et eas juramento firmare.

R. Neg. assumpt.; nam conjectura illa, quod Saül justa fœdera infregerit, nullo fundamento est nixa.

Obj. III. David habebat jus ad regnum Israel; ergo poterat uti Philistinorum auxilio ut in regni possessionem mitteretur.

R. Neg. conseq. Quia ipsi satis constabat, sese ex

Dei ordinatione, non esse in regni possessionem mittendum, nisi mortuo Saule.

Inst. Tot injuriis David erat a Saule affectus; ergo poterat hac occasione istam vindictam expetere.

R. illas injurias non fuisse vindicandas cum detrimento populi Dei.

P. quomodo Achis rex infidelis dixerit Davidi, cap. XXIX, 9: *Scio quia bonus es tu in oculis meis sicut angelus Dei: unde illi angelorum notitia?*

R. Quia Philistæus hic sapius cum Davide et sociis ejus egerat, ex iis facile angelorum notitiam haurire potuit. Unde et paulo ante γ . 6 jurat more Israelitis usitato: *Vivit Dominus*; ubi usurpat etiam nomen Dei tetragrammaton *Iehova*. Hinc patet quam efficax sit annuntiatio veritatis apud infideles, potissimum si ei conjuncta sit innocentia vite et morum.

QUÆSTIO III. — AN SAUL EX VULNERE SIBI INFLECTO INTERIERIT, AN VERO PER AMALECITAM OCCISUS SIT.

Prænotandum, quod dubium oriatur ex eo quod II Reg. I, 4 et seq., Amalecita veniens ad David cum armilla regia, etc., fateatur, se ad Saulem preces eum occidisse; qui ob hoc facinus de mandato Davidis ibidem gladio percussus. Interim

R. Certum videtur, quod Amalecita ille mentitus sit in caput suum, hac fictione putans se beneficium a Davide obtenturum ob hostem capitalem a se occisum; adeoque quod Saül seipsum interemerit.

Prob. Quia hic cap. XXXI, 4, dicitur: *Arripuit itaque Saül gladium, et irruit super eum.* I Paralip. X, 4, habetur: *Irruit in eum*, scilicet gladium in pectus proprium adigendo.

Quod vero irruens in gladium mortuus sit, adeoque nec evasio R. Levi (qui putat, eum in gladium suum quidem irruisse, sed defectu virium corpus perforare non potuisse) fundamentum habeat, patet ex immediate sequentibus γ . 5, ubi dicitur: *Quod cum vidisset armiger ejus (nempe quod non tantum irruisset Saül in gladium, sed etiam videlicet quod mortuus esset Saül, irruit etiam ipse super gladium suum, et mortuus est.* Clare scilicet textus exprimit, quod armiger viderit mortuum Saulem, et, ne visio armigeri esset æquivoca, per particulas *videlicet quod mortuus esset Saül* explicatur.

Præterea non permisisset armiger, ut Amalecita occideret regem, summe sibi dilectum, ubi ipse idem facere recusaverat, ne scilicet ignominia illa inferretur domino suo, ut ab incircumciso illo occideretur: maxime cum ipse Saül, ne veniret in manus incircumcisorum, etc., armigerum suum rogaverit, ut se interficeret, quo id ipsum negante, idem facinus in seipsum admisit.

Dices: Quidni putaverit armiger mortuum fuisse Saulem, qui ex vulnere ita erat languidus, ut mortuus videretur? ubi interim mortuo armigero ad se redierit Saül, et facta sint ea, quæ Amalecita Davidi retulit II Reg. I.

R. Ideo hoc dici non posse, quia expresse Scriptura asserit, quod armiger viderit non tantum irruisse Saulem in gladium, sed et mortuum esse.

Inst. Ergo injuste David occidi jussit Amalecitam, cum juxta nos non interfecerit Saulem, sed totum quod narravit factum, pure finxit: mendacium enim illud non videtur mereri mortem.

R. Neg. sequelam, quia persuadere sibi poterat David, quod verum diceret Amalecita; neque enim in simili causa solet homo mentiri: cumque persisteret Amalecita in narratione, magis confirmabatur David in opinione de occiso per illum Saule.

QUÆSTIO IV. — AN SAUL ETIAM ÆTERNAM MORTEM SUBIERIT, SEU DAMNATUS SIT.

Pro ejus excusatione multa quidem affert Lyranus, eumque salvatum putant varii rabbini; sed damnatum asserunt passim SS. patres: neque aliud sperandum de suicida, post tot commissa flagitia. Frustra ergo eum laudat Josephus cum rabbinis.

R. et dico: Saulem damnatum esse, vel ipso factente Lyrano, tenent concorditer doctores christiani: et id pariter Scriptura ipsa satis insinuat I Paralip. X, ubi habetur γ . 15: *Mortuus est ergo Saül propter iniquitates suas, eo quod prævaricatus sit mandatum Domini... insuper etiam pythonsam consuluerit.* Apud LXX habetur: *Mortuus est in iniquitatibus suis, quibus prævaricatus est.* Similiter versio hebraica Ariæ et aliorum habet: *Mortuus est in prævaricatione sua.*

Atque adeo præcluditur hic effugium Lyrani ita scribentis: Potest dici quod propter iniquitates suas poenam mortis sustinuerit; sed quod propterea sit damnatus, auctoritas non sonat: sicut fur suspenditur propter furta sua; si tamen poeniteat in fine vite veraciter, et mortem patienter suslineat, efficitur dignus vita æterna.

Enimvero non tantum dicitur: *Mortuus propter iniquitates*, sed et *in iniquitatibus*. Nec mirum; seipsum enim, præter alia scelera, occidit, ut vidimus quæst. præced., quod tamen si gratis supponatur esse falsum, nec sic quidem excusari posset Saül; quia tunc equidem jussisset vel rogasset se injuste occidi; quod pariter grave flagitium est.

Et revera damnationi ejus disertè subscribunt SS. PP. Hieron. in cap. XXVIII. Ezech., S. P. Aug., lib. IV cont. Julian., cap. 5, et S. Chrysost. hom. de Davide et Saule, affirmat Saulem luere æterna supplicia. Pariter Eucherius, Beda, et S. Bernardus, serm. 26 in Cantica, ac alii eum damnatum asserunt. Neque est vel levissima conjectura, quæ eum de tot tamque horrendis sceleribus poenitentiam egisse colligamus, ait Tirinus. Quin imo ultimum, quod de ipso refert Scriptura I Paralip. X, 14, est, quod *nec speraverit in Domino*: adeoque videtur desperandum impiam animam exhalasse.

Nec est, quod Lyranus id sic conetur explicare, quod licet non speraverit in Domino, quando pythonsam consuluit, tamen de omnibus istis malis, et aliis finaliter poenituerit, et tunc in Domino speraverit de salute æterna, licet non de vita temporali: quia talis poenitentia gratis fingitur, contra testimonia patrum et Scripturæ.

Obj. I. Saül audita Dei sententia, sibi per Samuelem annuntiata, de morte sua et filiorum suorum, ac regni translatione, patienter eam acceptavit, ut divina voluntas adimpleretur: enimvero modico cibo sumpto pro sustentatione naturæ, per totam noctem ambulavit ut veniret ad prælium, juxta divinum iudicium ibidem moriturus: nec Jonathæ, aliisque duobus filiis suis, ibidem existentibus, suavit aut iussit de prælio recedere, volens divinam sententiam non solum in se, sed etiam in filiis recipere, in pœnam suorum peccatorum.

R. eum propterea magis debuisse declinare pugnam, quod accepisset oraculum divinum, se interiturum, si ad pugnam pergeret; sicut fecit David, accepto simili oraculo de habitatoribus Ceilæ, supra, c. XXIII. Quamvis enim decreta Dei absoluta sint immutabilia, tamen oracula vel prædictiones ejusmodi sæpius tacitam conditionem involvunt, et veluti conditionatæ accipiendæ.

Cæterum quod Saül sententiæ divinæ patienter se submisit, ut pro suis delictis satisfaceret, speciose asseritur, sed non probatur. Credibilis est, quod jam totus diabolo mancipatus, parvi fecerit divinum oraculum: unde nec filiis mortis instantis nuntium intimavit, nec eos exitio eripere studuit; sed viribus suis præfidens, pugnam tentavit genere et intrepide.

Obj. II. Interficere seipsum, intuitu propriæ personæ, ut quis per hoc mortem acerbiorē vel turpiorem evadat, semper est illicitum; sed interficere seipsum intuitu divini honoris, ne scilicet ludibrium exerceatur in proprio corpore, redundans in Dei vituperium, non videtur illicitum. Atqui Saül ideo se interfecit, quia timebat, ne in ipso, qui erat principalis in populo, fierent ludibria, redundantia in contemptum Dei Israel; ergo, etc.

R. Neg. maj. Nam ludibria seu impropria quæcumque propter Deum sustinere, quantumcumque ignominiosa sint et acerba, non in Dei vituperium redundat, sed e contra ad divinum honorem maxime conducit ac pertinet, ut patet in martyribus. Insuper, cum non sint faciendæ mala ut eveniant bona, bonitas finis non tollit malitiam actus humani, si talis secundum suam speciem sit malus; uti est suicidium privata auctoritate commissum.

Denique nec verum est, Saulem ideo se interfecisse, ne dedecore Deus afficeretur; siquidem ipsemet aliam causam assignat, *ŷ. 4: Ne incircumcisi interficiant me, illudentes mihi.* Unde ipse ludibrii sibi inferendi impatiens, tanta vi et celeritate mortem sibi concevit, ut concipi nequeat, quomodo tempus penitentiae habuisset.

Obj. III. Licet Saül postea multipliciter peccaverit, videtur tamen divinæ pietati congruum, ut propter præcedentem bonitatem (qua non erat melior illo) Deus dederit ei in fine penitentiae locum, ad evadendam

pœnam æternam, non tamen ad recuperandam regiam dignitatem. Ita Lyranus.

R. non minus fuisse congruum divinæ justitiæ, ut eum, qui e statu divinæ amicitie in tot crimina se præcipitaverat, tandem sineret sui esse carnificem, et in tartara demergeret.

Obj. IV. Viri Jabes Galaad, sepultis in sylva sui territorii sub procerâ quercu cadaveribus, pro Saule jejuna verunt diebus septem; quod jejunium approbat David, eos laudans II Reg. II, 5 et seq. Deinde Ven. Beda putat eos jejunasse etiam pro requie defunctorum; ergo non videtur Saülis salus desperata. Ante responsionem

Adverte, duplicis generis quondam fuisse pro mortuis luctum et jejunium: unum sensuale tantum et politicum, per quod parentum vel amicorum amissorum dolorem testabantur exterius: et tale erat apud Ægyptios tempus 40 dierum, ut colligitur ex cap. I Genesis. Tale et apud Hebræos erat aliquando septem (ut hic et cit. cap. Gen., *ŷ. 10*), aliquando 50 dierum, ut in morte Aaron, Num. XX; item in morte Moysis Dent. XXXIV. In veris Dei cultoribus aliud erat pro mortuis jejunium aliisque luctus, non tam sensualis quam mysticus, ut nempe animabus defunctorum succurreretur: cujus luctus indicium habemus in exemplis Hebræorum adductis; non enim mere ob politiam externam hos luctus celebratos fuisse credendum est. Porro hoc notato,

R. 1. Jejunium et luctum politicum laudare potuit David in viris Jabes Galaad, utpote hoc jejunio gratitudinem in Saulem testantibus: nam Saül viros Jabes Galaad contra Naas Ammonitem, opprobrium sempiternum coram omni Israele per oculi dextri effossionem minitantes, defenderat, etc., supra, c. XI. Atque ita agnoscentes viri isti hoc beneficium, merito hunc luctum, saltem politicum, observare poterant.

R. 2. Etiam luctum et jejunium morale pro eo institui poterant, utpote non scientes quod in statu tam damnabili mortuus esset ille, qui antea, Deo disponente adeptus sceptrum israeliticum, vitæ innocentia puer erat unius anni.

P. quis sit sensus verborum *ŷ. 6: Mortuus est ergo Saül et universi viri ejus.*

R. non esse sensum, quod occubuerint quotquot in exercitu erant milites, nam multi ex eis fugisse dicuntur; sed sensus est, quod mortui sint domestici ejus et familiares, quibus circa regiam personæ cura erat demandata. Unde id ipsum lucidius exprimitur I Paralip. X, 6, ubi dicitur: *Et omnis domus illius pariter concidit.* Alioquin superstes fuit Abner, qui erat patruelis Saülis; servatus etiam est Isboseth, Saülis filius, qui fuerat domi relictus, sive quod esset bello minus idoneus; sive ut rei domesticæ curam gereret; superstes item fuit Miphiboseth filius Jonathæ.

DILUCIDATIO IN LIBRUM II REGUM.

Præfatio.

Liber hic spatium 40 annorum complectitur, nempe totum tempus regni Davidis, qui Saülis successit.

Postquam ergo in primo libro actum est de regno per electionem, hic in secundo tractari incipit de regno per successionem; quia Isboseth in majorem partem regni successit patri suo Saülis, quamvis modico tempore; et Salomon successit Davidi, et sic

consequenter reges alii usque ad captivitatem babilonicam.

Quia vero regnum Isboseth quotidie decrescebat, et regnum Davidis accrescebat, ideo primo describitur inchoatio regni utriusque partialis, secundo externatio regni Isboseth, tertio promotio regni Davidis integralis.

PARS DECIMA.

CAP. I, II.

David in Siceleg carmine lugubri deflet mortem Saülis et communem Israelis cladem. Consulto Domino migrat in Hebron, ibique rex inungitur super tribum Juda: Isboseth vero regnat super reliquas tribus; sequiturque bellum assiduum inter domum David et domum Isboseth.

QUÆSTIO PRIMA. — QUO SENSU DICATUR DAVID PRÆCIPISSE UT FILIOS JUDA DOCERENT ARCUM.

Cap. I, 1: *Factum est autem, postquam mortuus est Saül, ut David revertetur a cede Amalec: id est, ab interfectione Amalecitarum, qui urbem Siceleg, cap. XXX, lib. præc., incenderant, indeque multam prædam abduxerant: Et maneret in Siceleg duos dies; non enim urbs adeo desagraverat, ut in ea non esset commorandi facultas. Magis etiam conveniens judicabat David, suo se oppido continere, quam ad alia Philistinorum loca migrare, ne eorum suspicionibus fomentum suppeditaret. Interim postquam David jussisset occidi Amalecitanos, qui mendaciter jactitabat se Saulem interfecisse, *ŷ. 18: Præcepit ut docerent filios Juda arcum.* Pagninus ex hebræo vertit: *Ut docerent jaculari arcu.* Paraphrasis chaldaica habet: *Ad jacendum arcu.* Unde Lyranus, Beda, Abulensis, Estius et alii sic exponunt, ut per arcum intelligatur ars sagittandi, quam præcepit David edocere filios Juda, ne deinceps debellarentur a Philistæis, sicut Saül et ejus exercitus fuerant debellati arte, potissimum sagittandi, ita ut Saül ipse sagittis vulneratus esset, Tirinus ex communi interpretum expositione, per arcum synecdochice omne armorum genus intelligendum putat: nam volebat David indicare gravissima a*

Philistæis bella imminere; atque ideo debere comparari undique instrumenta bellica, et filios Juda in armis exerceri, qui hoc tempore totius populi præsidium esse debebant contra victores Philistæos.

Attamen Serarius et Mariana per arcum intelligunt ipsum planctum, seu threnum et carmen funebre, pro morte Saülis et populi, a Davide compositum; et hanc expositionem velut aptiorem admittit A Lapide et probat Tirinus.

Putant itaque illi, hic per arcum designari titulum epicidii seu carminis lugubris, quod mox sequitur, eo quod in illo cantico ferali laudaretur arcus, et fortitudo bellica Saülis et Jonathæ; adeoque titulus ejus fuerit: *Arcus.* Sic psalmos et hymnos in Ecclesia decantari solitos vulgo vocamus: *Te Deum laudamus, Magnificat, De profundis,* etc., ab eorum initio et titulo, seu argumento.

Utraque expositio videtur probabilis; et quidem posteriori favet, quod LXX Interpretes, nulla facta mentione arcus, tantum dicant Davidem lamentatum fuisse lamentationem hanc, seu ut Latinus interpres habet, *ŷ. 17: Planctum hujuscemodi.* Sic enim habent LXX *ŷ. 17: Et planxit David planctum hunc super Saül, et super Jonathan filium ejus. ŷ. 18: Et dixit, ut docerent filios Juda.*

Præterea filii Juda satis periti erant in arte sagittandi; nam, tunc temporis, illa arte præcipue bellabant.

Denique nihil omnino, quod arcui vel arti sagittandi conveniat, versu præcedenti aut subsequenti hic habetur: et alioquin nulla videtur hic connexio; quid enim arcus conducit ad planctum Davidis?

Adde quod, simili modo, et occasione, cum instarent alia infortunata tempora, Jeremias, cap. IX, 20,